



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Tribvs Dagobertis Francorvm Regibvs Diatriba Godefridi Henschenii E Societate Iesv

Henschenius, Godefridus

Antverpiae, 1655

V Theoderici vltimi regnum XVII annorum. An Dagoberto patre natus?
Interregnum Caroli Martelli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9599

*Theoderici ultimi regnum xvii annorum. An
DAGOBERTO patre natus? Interregnum Caro-
li Martelli.*

INter Reges Francorum primæ stirpis Merouingicæ qua-
tuor fuere, *Theoderici* nomine: primus Chlodouei I fi-
lius, qui regno Francorum quadrifariam diuiso ab obitu
patris, id est à xxvii Nouembris anni 1019, regnum Metense,
quod dein Austrasiorum dictum est, cepit, mortuus sub
finem anni 1033 aut initium sequentis. Secundus *Theo-
dericus* est filius Childeberti Regis Austrasiorum, & à mor-
te S Guntramni, etiam Burgundiæ, quo anno 1056 vi-
tâ functo, regnum Burgundiæ obtinuit *Theodericus*, &
Theodeberto fratre prælio victo, etiam Austrasiorum anno
1062, at sequente 1063 Metis mortuus. Tertius *Theo-
dericus* est filius Chlodouei II, qui Chlothario III fratre se-
niore defuncto anno 1066 Rex Neustriæ electus regno
pulsus, euocato ex Austrasiâ Childerico altero fratre: quo
dein anno 1069 occiso, regnum recuperavit, tenuitque
vsque ad annum 1074.

Quartus *Theodericus*, mortuo Chilperico anno 1074, à Ca-
rolo Martello in sedem regni constitutus est, vti his verbis tra-
ditur in Annalibus Fuldensibus. Auctor Historiæ iussu Chil-
debrandi scriptæ cap. 107, *Chilperico Rege, inquit, mortuo,
Theodericum Regem statuerunt in sedem regni, qui nunc locum so-
ly regalis obtinuit annis vita simul præstolatus, seu potius prote-
latis, vti legendum censet Labbeus in elogiis historicis Re-
gum*

gum Francorum num. 18. At *nunc* dicitur, quia Historiam suam auctor primâ vice finiuit cap. 109, relatis annis ab Adamo, diluuiio, Abrahamo, Moyse, Salomone, templo reâdificato, & Christo, vbi hæc leguntur: *A passione Domini usque in istum annum presentem. in Cyclo Victorij anni CLXXVII Kalendis Ianuariis, die Dominicâ anni 1000XXXV, & ut istud millenarium compleatur, restant anni CCLXV.* Bucherius in eruditissimis Commentariis ad Canonem Paschalem Victorij ca. 10 explicat eos annos in Cyclo Victorij CLXXVII Kalendis Ianuariis die Dominicâ inchoatos fuisse, e contra 1000XXXV completos, & quidem non à Passione, sed à Natiuitate Christi iuxta vulgarem epocham, quæ tunc in usum sensim inuehebatur, itaque incipiebat annus 1000XXXVI. At vixit Theodericus ad annum sequentem 1000XXXVII, vti legitur apud Labbeum in codice MS. computus Ecclesiastici his verbis: *A Natiuitate Domini usque ad prædictum annum, in quo Theodericus Rex Francorum mortuus est, 1000XXXVII: in quo anno Indictione v, Epacta xv, Concurr. 1. . . . Pascha ix Kal. Aprilis Luna xvii, &c.* In Chronicis duobus breuissimis ex MS. Remensi, & MS. Tiliano relatis in Historiâ Francorum Chesnæi tomo 1 pag 781, dicitur *Theodericus regnasse annos xvii*, scilicet ab anno 1000XX ad 1000XXXVII. Hæc de annis regni Theoderici vltimi quæ Childerico patre videri natum, & fratri Chilperico successisse supra innuimus.

Gesta Reguli Francorum his verbis concluduntur: *Frâci Theodericum II. Cala monasterio enutritum, filium DAGOBERTI Iunioris, Regem super se statuunt: qui usque nunc in regno subsistit.* Ex quibus ea, quæ ex Historia iussu Childebrandi, Theodorico viuente, scriptâ defumuntur, indubitata sunt, cuius imitatione se tunc etiam viuere finxit. Continuator Aimoini hæc Regum Gesta à cap. 44 interferit libro quar-

to, & continenti methodo historia Aimoini deducitur ad annum Christi cclxv, relictis interim de Theoderico verbis istis: *Qui nunc sexto anno in regno subsistit*: tamquam auctor idem seculis prope quinque continuis vixisset, qui seculo illo vndecimo videtur magnâ incuriâ Gesta Regum ex variis congeffisse. In Fragmento Ercanberti hæc ita referuntur: *Theodericum filium TAGOBERGI iunioris Franci in Regem sibi statuunt, qui nutritus in Calâ monasterio erat, regnavit q̄, annis vi.* scilicet quia apud Continuatores Aimoini legabatur eum *sexto anno in regno subsistere.* In Chronicis Francorum breuiter digestis ex MS. Tiliano pag. 797 & in libello vetusti scriptoris de Maioribus-Domus, dicuntur. *Franci Theodericum DAGOBERGI iunioris filium Regem super se statuisse*: quæ ex Gestis Regum Francorum descripta sunt. In eodem libello de Maioribus-Domus *regnum DAGOBERTO adhuc puero* collatum esse suprâ retulimus: imò ex ætate eius & Childeberti patris ac Chlodouei III patruï probauimus eum in iuuenili ætate decessisse, ideoque nomen Iuuenuli & Iunioris obtinuisse.

Mortuo Theoderico, Carolus Martellus per reliquum vitæ tempus sine alio Rege imperauit, vsque ad annum MCCXLI, quo mense Octobri Parisiis vitâ functus est, & in monasterio S. Dionysij sepultus: cui antè indulserat priuilegium à Dubletio pag. 690 relatum, cum hac clausulâ: *Actum Careciaco villâ in palatio, quando fecit mensis September dies xvii, annum v post defunctum Theodericum Regem. Signum Inlustro viro Karlo Maiorim-Domus, qui hanc epistolam donationis fieri rogauit.*